



1080047240

ENTIA
TERALIS
PANEGRICUS
MORALIS
IN CAPUT VIGESIMUM QUARTUM
LIBRI
ECCLIASTICI
QUOD EST
SACRA QUIDAM AC PREUSTRIS FORCIS
R.P. II DEPHONOS
FLORES



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO
D. FRANCISCO
RODERICO PONCIO,
DE LEON,
DUCI DE ARCOS;
MARCHIONI DE ZAHARA;
COMITI DE VAYLEN Y CASARES,
Domino Familiarum & Dominorum Villa Garciae, &
Marchenae, &c.

54792

S. & F. P.



ASTIGII tui cupidissimum (Excellentissime Domine) ad
tuas Aras nostrum hoc quidquid est operis, vel laboris,
alacre, ac volucre ultrò ire, recta evolare, & provolvi sub-
missè, operæ pretium duximus. Consultò, ad tuas Aras,
dixi, consultius dicturus ad generosè magnanimum Pon-
ciae, Leoninaeque Familiae leunculum. Quidni? quando-
quidem inspirata Littera, ut Altare dicerent, non semel
Leonem dixere. Isaias inprimis c. 29. Ariel, Ariel, id est,
Leo Dei, Leo Dei: quod nomen (ut ibi Hieronymus) refertur propriè ad Altare.
Ezechielius deinde c. 43. Ipse autem Ariel (id est, Leo Dei, nempe Altare) quatuor cu-
bitorum. Scilicet, sacra Dei Ara appositè Leonis delectabatur cognomento, sive
quia Leonis instar prædam discerpentis, & sanguinem exugentis, ignis è cælo
dilapsus in Altari victimarum cruore madente jugiter excubabat; sive quia Leo-
num sculpturis per latera quaqua versus Altare apparebat insignitum. Nec plebeii
illi Leones erant, sed Regii Regio eodem conspicui diademate, quo & Altare
ipsum: Et corona in circuitu ejus: imò verò etiam signatissimè Dei ipsius Leones;
cujus usu sacro ea esse dicuntur, quæ non vulgaria extant, & abjecta, sed
& eximia: Ara Dei, Leo Dei. Igitur ad tuas Aras, ad tuum asyllum;
quam, Dei plenè ac planè Regios coronatosque Leones; ad Te Te
eph. de Flores in Eccles



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

EPISTOLA

eximium unum *Leonis catulum* tutus ac totus advolat Liber iste jure suo, & merito tuo. O quantam illi & mihi auguror felicitatem, antè denuntio, prædixino! *Tuus* nominibus multis liber est, *Tuus* splendore illustrandus tuo; *Tuus* tuo nomine auctorandus; *Tuus* Leonino robore propugnandus tuo: *Tuus*, quia *Tuus sum ego*, & (ut audacter eloquar) *meus es Tu*. Et cur non *Tuus ego*, & *Tu Meus*? cum jam diu, per tredecim annos, moderandæ conscientiæ tuæ *Tuum me* esse, ac *Te meum*, constanter voluisti? *Tuus* sum erga Te optimè & altè animatus ubique & semper; *Meus* es Tu in me semper & ubique humanissimus. Quid ergo mirum, si sese ultrò destinet Tibi quod *tuum* est, quia sudore, & industriâ *meum*? Sacravi Parenti tuo, ac Domino meo priores mei ingenioli factus, Opus videlicet de *Agone Martyrii* novum, ipso Martyrum profuso sanguine, quasi nobiliori purpura, splendide amictum. Consecravi postmodum Matri tuæ, meaque Dominae Opus aliud elucidandæ *Angelicæ Salutationi*, ac subinde *Marianæ Immunitati* solidè & amcenè corroborandæ totum incumbens. Accessit tandem tertium hoc diu jam elaboratum, commentationes continens Litterarias, Panegyricas, & Morales in Caput XXIV. Libri Ecclesiastici; Christi salutis nostræ Assertoris, ac Magnæ Matris magnalia expendens; Orthodoxæ Ecclesiæ (Hispaniensis signatim) præmaturè in veteri Synagoga adumbratæ evulgans glorias; necnon selectiora singulorum Ordinum Religiosorum ascetica Encomia proponens. Hoc præcipuum lubricationum mearum studium, eò gratius forsitan, quò tardius, ac de sumptuosa materia, & pietatis voto cumulatius. Procrastinatum dixerim, non absque Numine, & omine aliquo, ut quod pretiosius mihi est, tibi esset mea erga Te benevolentia munus; qui tamen tertius scriptorum meorum Patronus sis, prior in amore habearis, duos alios in te uno unice adunatos continens genere manante, hereditario jure, ac veluti lata imitationis lege. Ut enim bellissimè Arist. l. 1. de Cælo c. 1. *Tria sunt omnia, & ipsum Ter in omnem partem se effundit*. Intellege *omnia*, non sola, sed prima; quippe nec unitas, nec duo *omnia* constant, sed mox ut sint *Tria*; si ea singula adsint, dicimus adesse *omnia*. Hinc & Galli per *Tres*, id est, *Ter* superlativum significant, summum nempe, & maximum in suo genere: ut *Tres boni*, id est, optimus; *Tres sage*, id est, sapientissimus; *Tres riche*, id est, ditissimus. Quin etiam, Dionysio Halicarnasseo autumante lib. 3. *Ternarius ad quasunque controversias dirimendas maximè idoneus est, ut qui principium, medium, & finem in se continet*. Quid inde? Tu Tu (Excellentissime Marchio) Tu mihi Patronus dum *Tertius* accedis, *omnia* mihi accessisse reor. *Unitatem* habui, cum sub gloriosa Parentis tui nuncupatione primum Opus in lucem edidi; ad *duo* processu, cum secundum subter benevolentia alam & beneficentia suæ autam Mater refovit tua. Jam cum sese sponte consecrat tertium Tibi post Genitores tuos tertio, *omnia* adsunt, summus adest in suo Genere, qui primum, medium, & finem in se continet, dirimatque quasunque in scripta hæc mea emergentes controversias.

Posses plurima hinc attexere ad Tui commendationem; sed cum abundè exploratum habeam ingenium tuum à blanda assentatione tam longè diffutum, ut vel justissimis tuis laudibus gratas minimè præbeas aures, illa dumtaxat enumerabò cursim, qualia decet virum probum dicere, nec improbo dici; & quibus ad magnalia stimuletur princeps tanti mei Principis Christiana & avita politia: Nam profectò, ut sordidum ac vile ingenium inaniter à laudibus vanescit ad culpam, ita tua optima, generosaque indoles encomiis accenditur ad præclara virtutis facinora. *Laborabo* (cum Panegyrista Plinio loquor) *ut orationem meam ad modestiam Principis, moderationemque submittam, nec minus considerabo quid aures tuæ pati possint, quam quid virtutibus debeat*.

Atque in primis tuam tibi obijcio antiquam Nobilitatem Regiis augustam at-

avis;

DEDICATORIA.

vis; tuum generosum sanguinem tot præliis victorem, tot triumphalem victoriis, tot triumphis superbum: *Ponciorum* scilicet Familiam tot stemmatibus prælustrem, & ab illa originem trahentes, per exploratos nobilitatis traduces, tot Heroës strenuissimos, tot Duces, tot Marchiones, tot Comites, in quorum consortium nullam non venisse omnigenam virtutem, quæ Regios animos præclare exornant, ex pervulgatæ traditionis vetusta præscriptione liquidò constat. Vis tuæ Excellentissimæ Familiæ fontem agnoscere? Crystallinus est, atque ejus scaturiginem miratur planè, sed plenè non agnoscit curiosior mortalium sagacitas, ut sic quò illa abstrusè latentior, eò præclare augustior emineat. Accipe ex sacris Scripturis exemplum, imò Genealogiæ tuæ quoddam veluti vaticinium.

Jordanis primam originem rimantur studiosè tum sacri, tum prophani Scriptores: Vel obscuritate sua clarissimam esse unà omnes testantur ingenuè. Geminam adstruunt; unam quidem occultam, & latentem è *Phiala*: conspicuam, & patentem alteram è *Panio*. Abstrusum illud tanti fluminis exordium *Phialam* appellari testantur, quia imperscrutabilis profunditatis extat, semper intra sua labra cohibens undam, perpetuè aquis plena, nec unquam deficiens, vel exuberans. Conspicuum, ac patens initium *Panium* dici arbitrantur, quia in illud *Jordanis* origo à prima illa arcana *Phiala* manifestè derivatur; & quidem undique purissimè, sincerissimè, candidissimè; cum *Panium* exquisitâ suâ etymologiâ *purum* sonet, *sincerum*, & *candidum* undequaque. Illud addiderim, ne mihi excidat; *Jordanem* (uti Hieronymus observat) nomen sortiti à *Dan* oppido Judææ Provinciæ termino, ad tribum *Dan*, sive *Danitam* sortem, spectante. Cumque *Ior* fluvium significet, idem omnino erit *Jordan*, atque *fluvius Dan*. Sed ecquis *Dan*? Moyses ostendit sua illa decantatissima benedictione super Danitarum Familiam. Deut. 33. *Dan Catulus Leonis, fluet largiter ex Basan*. Leonibus assimilantur Danitæ propter Samsonem ex hac tribu generosè propagatum, qui quasi Leonis catulus millia hostium superavit, Leonem invasit, discerpitque sine clava, sine gladio, aliisve armis ad invadendum, aut protegendum opportunis: *Nec propter Samsonem solum* (addit Rupertus) *sed propter communes pugnacissimæ Tribus vires, catulus Leonis Dan*. Ceterum quid illud est? *Fluet largiter ex Basan*: vel, juxta Chaldaicam paraphrasim: *Terra ejus irrigatur ex Basan*: aut ex LXX. translatione: *Et saltabit ex Basan*. Certè (ut politiores observant) ad *Jordanis* illud exordium occultum, ac latens fit allusio, quod esse dicitur situm in terra *Basan*. Benè hoc fit. Ulteriùs tamen addubito; quid commune habet Leonina Danitarum Familia cum *Jordanis* flumine, fluminisque hujus sive occulto, sive patente origine? Numquid illorum Genealogia ad instar extitit *Jordanis* defluxus? An ejus fontana origo & latens & patens? Num *Leonum flumen* Tribus illa vocitanda?

Certè quidquid de illa sit (ô mi Marchio) tuam undequaque Regiam *Ponciorum* à *Leone* Genealogiam bellissimè præfiguratam reor; tuam tuæ Familiæ originem præclarissimam arcana nobilitatis sacramento micantiùs scintillantem; tuos Progenitores excellentissimos, robustos, bellicos; tuam universam domum omni ævo *Leonibus* factam. Sit progenies tua instar rapidissimi *Jordanis* defluxus, sit *Leonum flumen*, quod *fluat largiter*, quod *saltet*, quod terram *irriget*, ac semper per sancta & Regia conjugia profluat continenter. Ut enim multi Ecclesiæ Proceres, & antiqui Philosophi observant, fluminis defluxus commodum extat humanæ generationis symbolum. *Quid fluvii nomine* (Magnus aiebat Gregorius, 33. Moral. c. 6.) *nisi humani Generis decursio significatur*? Imò signatim Maximus Doctor Hieronymus lib. 1. ad Jovin. in *Jordanis* aquis *aquas nuptiarum* agnovit, *quæ semper in lege fluxerunt*. Quod & ego in ipso *Jordanis* vocabulo recognoverim; sonat enim, juxta nonnullorum placitum, *Descensio eorum*. Illud tamen unum hinc deduxeris, juxta